quod excurrit adscribendas, ipsa tunc temporis necessitas suasit. de me securè statuas rogo, quàcumque commodis tuis inseruiendi facultatem nactus ~~ero~~ fuero, totis in hoc viribus, et promptissimo affectu incubiturum. Vale Vir Nobilissime et me ama

Hagæ Comitis 16. Oct: 1640. N: D: tuæ addictissimum
C. H.

(294).

Nicolao Heinsio Danielis Filio.

Non aggredior dicere, Iuvenum præstantissime, quam in cimelijs habeam munusculum, ut ais, ego verò ut censeo, grande munus, quo his diebus me ditasti, neque enim par explicando sum quantoperè placeat placuisse maximo Parenti, ut post Poematum suorum sæpè repetitas editiones, nobile tu hoc tandem spicilegium faceres, legitimos omnes et tanquam tibi consanguineos partus unâ fasciâ involutos orbi exhiberes. Faxit Deus ne postremum hoc officii nauaueris Patri, Musis amicis, tibi. Satis certè vegetâ ætate est, ut quotidiè duplicatum eat hoc volumen, neque, si me audiat, facile desiturus est his subinde amænitatibus animum oblectare, grauioribus studiis curisque fatigatum, vel, ut sæculum est, ineptiis hominum quos illæ minimè decent, justâ cum indignatione commotum. Salutem ei plurimam meis verbis dictam cupio, atque hoc ut credas maximo penes me in prætio esse Virtutis ac Doctrinæ tuæ, quæ non obiter noto, insignia incrementa. Vale

Tuus hæreditario affectu.
13. Nov: 1640. C. H:

(295)

Bannio.

Ternas mihi epistolas tuas, Banni amplissime atque amicissime, cum cæteris Gallorum scriptis hodiè Postius tradidit. Id si heri, vel ante noctis, ut quidam locutus est, meridiem accidisset, jam unâ operâ cum nonnullis meis per Tabellarium hedomadalem in Galliam auolassent. At Septimanæ leue dispendium erit circa rem, neque ad animæ, neque ad Reipublicæ salutem magnoperè spectantem. Ego hoc potissimum doleo atque indignor, prompti ~~ores~~ illos multo quam par est, atque a scopo controuersiæ, ut ab humanitate literarum longè

alienissimos